

Finita resumptione, statim inchoetur Antiphona *O lumen.*, in Conventibus ubi quotidie cantari consuevit, et more solito absolvatur Completorium.

¶ Ubi vero cantatur Antiphona de alio Sancto, dicta resumptione *Imple Pater.* (vel *Allelúia.* Tempore Paschali), subjungatur *ŷ.* Ora pro nobis beáte Pater Dominice. Et responso a Choro *Ut digni...* Hebdomadarius, verso vultu ad Altare S. P. Dominici, dicat Orationem *Deus, qui Ecclésiám tuam.*, pag. 76. Deinde inchoetur Antiphona consueta, et more solito absolvatur Completorium.

¶ Sicubi hæc Processio alia die aliove ritu peragi solet, fiat secundum quod usus obtinuerit.

CANTICUM DE PASSIONE DOMINI.

Ante imaginem D. N. Jesu Christi Crucifixi genua flectant Fratres, et Cantor voce mediocri et humili cantabit in secundo tono infrascriptos Versus, ad singulos Inceptionem faciendo, et pausando inter unum et alterum Versum tantum quantum posset dici unum Pater noster. : et interim Fratres elevantes mentem suam ad Deum, et dictos Versus devote meditando divinam misericordiam pro instantibus necessitatibus invocabunt.



A MI-CI me- i et próximi me- i * advérsum me



appropinquavérunt et ste-térunt.

Tráditus sum et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Et factus est sudor meus : * sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Corpus meum dedi percutiéntibus : * et genas meas velléntibus.

Fáciem meam non avérti ab increpántibus : * et con-
spuéntibus in me.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Milites plecténtes corónam de spinis : * imposuérunt super caput meum.

Foderunt manus meas et pedes meos : * et dinumera-
vérunt ómnia ossa mea.

Et dedérunt in escam meam fel : * et in siti mea pota-
vérunt me acéto.

Omnes vidéntes me derisérunt me : * locúti sunt lá-
biis et movérunt caput.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divi-
sérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam mi-
sérunt sortem.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemí-
sti me, Dómine, Deus veritátis.


Hic Chorus replicabit In manus tuas, etc.

Meménto famulórum tuórum Dómine : * dum véneris
in regnum tuum.

Ad sequentem Versum vox exaltabitur :



Jesus autem, emissa voce magna : * trá- di-dit



spí-ri-tum.

Quibus cantatis, prosternent se Fratres, Passionis Domini Nostri Jesu Christi mysteria meditantes, quousque signo facto a Superiore elevabunt se; et Cantor Canticum in sexto tono prosequetur, et singulos Versus eadem pausa distinguet.



Mi-se-ri-córdi- as Dómi-ni * in ætérnum cantábo.

Vere languóres nostros ipse tulit : * et dolóres nostros ipse portávit.

Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras : * attrítus est propter scélera nostra.

Omnes nos quasi oves errávimus : * unusquisque in viam suam declinávit.

Et pósuit in eo Dóminus : * iniquitátes ómnium nostrum.


Exsúrge, quare obdórmis Dómine ? * exsúrge, et ne repéllas in finem.

Hic Chorus replicabit Versum : Exsúrge, quare obdórmis Dómine ? etc.

Et Cantor subsequetur :



Exsúrge, qua-re obdórmis Dómi-ne ? * exsúrge,



et ne repéllas in finem.

Ecce Deus Salvátor meus : * fiduciáliter agam et non timébo.



Te ergo quæsumus tu- is fámu- lis súbveni : * quos



pre-ti- óso Sángu- ne rede- místi.

Hic Superior dicat *ŷ*. Miserére nostri, Jesu benígne *ŷ*

Chorus *ŷ*. Qui passus es cleménter pro nobis *ŷ*

Et Superior dicat Orationem : Réspice, terminando eam sicut in Hebdomada sancta sine Qui tecum.

Oratio.

RESPICE quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam *ŷ* pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium : et Crucis subire tormentum *ŷ*